

Alte Drucke

Postillae siue Conciones In Epistolas Et Euangelia quæ ab adventu vsque ad Pascha in Ecclesia legi consueuerunt ...

POSTILLAE || siue Conciones || IN EPISTOLAS ET || Euangelia quæ ab Aduentu
vsque ad || Pascha in Ecclesia legi consueue-||runt, authore R. patre D. ||
Ioanne Fero Conciona-||tore absolutissimo, ...

Wild, Johann

Antverpiae, 1559

Dominica quarta POST EPIPHANIAM EVANGelium Matth. VIII.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150400

POSTILLA F. IOAN. VERI

perant, ventis & mari: & facta est tranquillitas magna.
Porro homines mirati sunt dicentes: Qualis est hic, quia
venti & mare obediunt ei?

EIVSDEM DOMINI.

ÆEPISTOLA Rom. XIII.

Nemini quicquam debeat, nisi vt inuicem diligatis. Qui enim diligit proximum legem implet. Nam, Non adulterabis, Non occides, Non furaberis, Non falsum testimoniū dices, Non concupisces rem proximi tui, & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur: Diliges proximum tuum sicut teipsum: Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo legis est dilectio.

PRIMVS SERMO

Docet, quid tentationes in homine operentur.



Odiernum euangelium breuem historiam complectitur, sed talem, quæ non perfunctoriam, sed diligentem & exactam requirat indagacionem, siquidem omnibus modis ea cuius bono Christiano ad salutem vtilis est. Illic nanque videmus, quid tentatio sit & faciat in homine. Illic videmus, qualem se Christus præstat & declarat erga hominem in tentatione. Illic audimus, quid fides & verbum Dei in tentatione efficiat ac possit. Et postremo docemur quoque hoc euangelio, quid in tentatione & discrimine agere nos debeamus. Quis autem non intelligit hæc omnia scitu oppido necessaria esse? Quæ sanè hic facili negotio addiscere possumus. Nemo enim tam rudis & crassus ingenii est, qui historiã hanc non memoria tenere queat. Quæ quanquam semel gesta est, at tamen qui sacras literas euoluit, inueniet apud fideles, semper similia gesta fuisse à tẽpore, quo homines in terris esse coeperunt ad nostram ætatem vsque. Talia iidem posteri nostri videbunt & experientur. Nam quemadmodum hic apostoli nauim absque metu ingrediuntur, mox verò in magnum incidunt periculum & terrorem, & rursus cum in maximo

maximo metu essent, & iam se occidisse putarent, mirabiliter liberantur. Ita probant ac demonstrant omnium diuorum exempla, tentationem nunquam proximiorē esse, quā cū in portu nos maxime nauigare arbitramur, contra fortunam, salutem, auxilium, arque adeo Deum ipsam nusquam magis præsente esse, quā ubi tentatio omnium grauissima est.

Hoc primum in Adam paradisiaco videre licet. Qui cū in summa securitate ageret, nec malum vllum expectaret, ecce adest diabolus, qui eum semel præcipitem dat in omnem miserram corporis & animæ. Postea verò, quā Deus ita seuerè cum illo ageret, increparet illum ob admissum, malediceret illi, & Paradiso illum exigeret, ita vt Adam aliter cogitare non posset, quin in sempiternum interisset, statim illi Deus promissionem dabat de futuro Christo.

Similis rerū vicissitudo spectatur in Israëlitis. Qui cū in maxima tranquillitate viuerent in Ægypto, & nihil minus quā de infortunio cogitarent, mors illis aufert Iosephū, succedit alius rex, qui inhumaniter eos habet. Deinde cū huc exilio se perpetuò obnoxios fore putarent, adest Moses, & eripit eos.

Haud secus cum Dauide actum esse legimus. Qui cū in regē vnctus esset appareret; nunc tempus adest, in quo fortuna omnem suam benignitatem in ipsum effundere deberet, tum magis etiam malorum agmina in eum vndique irruunt. Verū cū iam maxime in eum omnium malorum intemperies fauisset, adest & liberat eum Deus ab omni hostium impressione ac periculo.

Idem quoque Christo euenit. Cū discipuli ipsius spectarent illum iam nunc regnare incepturū, gratularentur; illi de imperio, in crucem adigitur. Deinde autem cū de illo actum esse putarēt, resurgit à mortuis. Sic pariter cum apostolis agebatur, nunc grauissimas persecutiones sustinebant, nunc subito liberabantur rursus. Quorsum multis exemplis opus est? Nunquam non tempestates tumultuantur in mari, hoc est, in mundo. Temporibus Constantini mare tranquillum & placidum, nec vlla in Christianos persecutio erat, repente autem Constantino adhuc supersit alia commotio per Arrium, & illius factionis homines suboritur, qui maiorem calamitatem orbi Christiano inuehebant, quā fecerant omnes Ethnici persecutores. Nec alia nostra nunc sunt tempora, quare videre nos oportet,

Gen. 3.

Exo. 1.

Exo. 4.
1. Reg. 16.

Mat. 21.

Act. 4.
C. 13.

tet,

POSTILLA F. IOAN. FERI

tet, quid h, qui ante nos fuerunt in eiusmodi æstibus & turbinibus fecerint, quo & nos subsistere queamus.

Porro duo sunt, quæ huius mundi turbines & tempestates nobis horribiles ac periculosas faciunt. Primum est falsa securitas, quod tanquam in rebus omnibus bene pacatis nihil suspectum habemus. Alterum est incredulitas seu imbecillis nostra fiducia. Illi mundi cultores, huic etiam prohi non raro obnoxij sunt. Aduersus vtrunq; hodiernum euangelium belligeratur. Monet, ne falsæ mundi securitatis nimium fidamus. Increpat quoque fiduciæ nostræ imbecillitatem, atque ita docet nos timorem simul ac fidem. Ex hac duo qui ex hodierno euangelio discere potest, is hac vice abunde profecit. Quare de vtroque amplius non nil audiemus.

Primo, quod hodiernum euangelium ita clarè nobis indicat, quid tentatio in sanctis apostolis operata sit, eosq; tam pusillanimes ac formidolosos fecerit, monemur nos, ne vnquam securos nos existimemus, nè fallaci mundi securitati fidamus. Docemur item, vt semper in timore simus, quemadmodum docet Sapiēs, qui tales homines beatos dicit. Beatus homo, inquit, qui semper est pauidus. Ceterum non ignoramus in sacris literis omnis generis tentationes procellis & aquarum fluctibus comparari solere. Vt cum Dauid ait: Saluum me fac Deus, quoniam aquæ (hoc est angustia) intrauerunt vsque ad animam meam. Et rursus: Dominus assumpsit me de aquis multis, hoc est, de multis tribulationibus. Item: Dominus adducet super vos aquas fluminis fortes & multas, regem Assyriorum. Verum non absque causa tentationes vndis assimilantur. Quicquid enim homo in aquæ periculo aut iam submersus experitur, cogitat, loquitur, facit, sperat, ac metuit, hoc experitur, cogitat, loquitur, facit, sperat ac timet in tentatione. Id quod pulchrè nos docet istud Apostolorum periculum.

Etenim primo in confesso est, præsentius esse periculum in mari quàm in terra, quoniam terra nostrum est elementum, ad nostrum vsum destinatum. Aqua verò in hoc nobis peregrinum elementum est. Verum sine discrimine in alieno elemento degere nemo potest. Porro sancti Apostoli hac vice non in terra sed super aquas erant. Hoc per se periculum erat: sed maior illud fiebat ventis ac tempestatibus accedentibus, ita vt etiam fluctibus nauis operiretur.

Magis

Pro 28.

Psal. 68.

Psal. 17.

Esa. 8.

Magis adhuc augebat periculum, quod ventorum violentiam nec impedire, nec illis resistere, neque fugam capessere possent, neque haberent, qui illis auxiliari potuissent. Periculum autem illis omnium maximum hoc erat, quod CHRISTVS, qui vnica illorum spes erat dormiebat. Minime iam hic dubium est, beatos Apostolos multa & variis animis secum voluisse, omnia tentasse ac fecisse in tanta necessitate, saepius suspirasse, ac in omnes partes circumtulisse oculos. Quinimo si Christum praesentem non habuissent, haudquaquam a desperatione se defendere potuissent. Nam praenuntij desperationis iam aderat, nimirum metus & fidei imbecillitas, quae hominem facile ad desperationem adigunt. Talis, inquam, Apostolorum status erat in hoc periculo. Nec tamen erat nisi externa quaedam tempestas, quae tantum corpori seu naturali vitae officere poterat. Si externa & corporalis tentatio etiam sanctissimos vsque adeo pusillanimes facit, quid spirituales tentationes faciant, quando hominem scelerum conscientia, dolores mortis, terror diuini iudicij & tartari periculum torquens & discruciant?

In huiusmodi tentionibus sentit nimirum homo, quod modò de Apostolis dixi, primò videlicet, se non in terra, sed super aquas esse, quae nec fundum nec stabile fundamentum habent, quare ibi cogitet oportet. Quis dabit mihi pennas sicut columbae: & volabo & requiescam? Deinde, quocumque se vertit, nihil aliud videt, quam certa interitus indicia, & verum esse comperit, quod Ieremias in simili tentatione dixit: Asperi terram, & ecce vacua erat & nihil: & celos & non erat lux in eis. Vidi montes & ecce mouebantur & omnes colles conturbati sunt. Intuitus sum & non erat homo, & omne volatile recessit, & cæte. In tali angustia constituti sunt, qui spiritualiter tribulantur, nusquam auxilium aut spem vident, omnes creaturae ipsis iratae videntur. Ad hæc non possunt fuga sibi consulere, vt ait Iob. Semitam meam circumsepsit. Qui in tali animi anxierate versatur, is videt quod neque ipse sibi, neque alij possint suppetias ferre. Præterea quoque videtur illi Deus dormire, vt neque videat, neque audiat precationes aut gemitus ipsius. Talis homo quid aliud vel cogitare vel dicere potest, quam quod Dauid olim in sua tribulatione dixit: Timor & tremor venerunt super me: & con texerunt me tenebrae. In istiusmodi tentionum procellis versa-

Psal. 17.

Psal. 54.

Hier. 4.

Iob. 39.

Psal. 54.

versa-

POSTILLA F. IOAN. FERI

- Iob. 19.** versabatur diuus Iob, cum ait: Desiruxit me vndique, & pereo, Ecce clamabo vim patiens, & nemo audiet, Deus sic me habuit quasi hostem suum. Simul venerunt latrones eius & fecerunt sibi viam per me. In tali tempestate mergebantur ac interibant Cain & Iudas: nam nullum videbant redemptorem. Et Adam indidem perire oportebat, nisi Deus eum sua gratia & promissione benedicti seminis seruasset.
- Gen. 4.**
- Mat. 27**
- Gen. 3.**

Hoc o homo Christiane, circa corporale beatorum apostolorum periculum, ac tempestatem istam tua cum mente recolle. Si Apostolos ita pusillanimes ac pene desperatos reddidit, in quam igitur pusillanimitatem hominem coniciat spiritualium temptationum insultus, ubi Deus non modo non apparet cum sua consolatione, verumetiam tanquam hostem se declarat? Hoc, inquam, considera circa istud euangelium. Nihil quidem hæc meditatio læti aut iucundi habet, sed incredibilem adfert utilitatem. Primo namque facit hominem prouidum ac sollicitum, ne in rebus secundis Dei obliuiscatur, ne vicissim Deus eum deserat tempore infesto. Secundo impellit hominem, ut eo diligentius orationi vacet & dicat ad Deum: Domine ne inducas nos in temptationem.

- Mat. 6.** Tertio quoque admirari homini falsam securitatem, cui mundi amatores fidunt, putant se semper tutos fore, ipsi sibi persuadent, se percussisse fœdus cum morte & cum inferno fecisse pactum, nec vident sibi temptationis periculum proximum esse, nec esse quenquam qui illos erepturus sit. Quid enim omnis mundi securitas aliud est, quam ingens illa imago, quam Nabuchodonosor in somnis conspiciebatur? Magnificam quidem ea speciem præ se ferebat, tota aurea, argentea, ænea ac ferrea erat, sed testeo pedi innitebatur, quem cum non nisi lapis tangeret, vniuersa mōles corruēbat. Talis mundi securitas est, testaceis pedibus insistit, quos vel leuis tentatio frangit, ac tum omnis spes iacet. Quare qui cogitat, omni hora temptationum impressionem expectandam nobis esse, is non facile à mundi securitate sibi imponi patietur.
- Esa. 28.**
- Dan. 2.**

Atque utinam omnium mortalium mentes hæc cogitatio subear. Videimus, audimus indies, quosdā homines miserabiliter & atrociter temptationibus impugnari, ad desperationem usque. Vnde id fit? Neminem volo temere iudicare, multo minus presumptuose occulta Dei iudicia sciscitari. Sed scio diabolo nonnunquam diuinitus permitti ac potestatem concedi, etiam viros sanctissimos tentandi, ut in

ut in

vt in Iob videre est, & Paulus quoq; de seipso narrat. Contra quoque non sum nescius, ex Dei permissione homines ob peccata in eiusmodi inextricabiles tēditiones incidere, vt in Saule videre licet, qui propter animi sui impietatem, non modò spiritus sancti iacturam faciebat, verum etiam diabolo affligendus tradebatur. Sanè, dilecti fratres, flagitiosa nostra vita non parua miseriarum causa nobis est, in quas Deo cōiunente prolabimur. Sic enim ait Deus in scriptura: Vos reliquistis me, & ego reliqui vos. Quorū autem homines inueniuntur, qui prorsus impij sunt, qui viuunt instar pecudum, qui neque Dei neque animarum suarum memores sunt, qui nunquam audiunt verbum Dei, qui nihil orationem faciunt, qui nullis sacramētis vtuntur, &c. Verū vbi medicina ac media respuuntur, quæ Christus ad spiritum sanctum adipiscendum & conseruandum, ad malignum autem spiritum depellendum insinuit, mirum non est diabolus ibi potestatem obtinere tentandi vexandiq; hominem. Nam hoc pro certo habeto, vbi Christus dormit, ibi tempestates & tentationum procelle oriuntur. Tum autem dormit CHRIS TVS, quando fides in te fluctuat, charitas frigescit, deuotio deficit. Quis verò non videt, Christū nunc in multis hominibus ita dormire? Porro vbi CHRIS TVS non operatur, ibi tantò maiorem diabolus locum habet malitiam suam ac odium exercendi. Proinde si in tentationibus nolis cedere & vinci, multò ante eas p̄meditare. Pietati stude. Deum ne desere fortuna tibi blandiēte, nec ipse deseret te tēditionibus te instantibus. Scito te in mari esse, quod quātumuis sedatum ac tranquilum fuerit, semper tamen tempestates ac tentationes habebit, quas non ludum esse dicas. Non enim temerè monet CHRIS TVS iam vicinus morti, suos discipulos, vt orarēt ac vigilarent. Hoc ex pluribus verbis indicare volui, quod tot tamq; variae horribiles tentationes inter nos Christianos nostro sæculo deprehenduntur. Nam miseri nos ac infelices homines non credimus Deo, nisi p̄nam infligēti, nec timemus futurum malum, donec experiamur.

Attamen nondum satis est, vt ex hoc euangelio metum ac prouidentiam discamus aduersus ingruens malum, sed fidere quoque assuescamus oportet in iam p̄senti periculo. Prius metuere debemus, quàm tentatio nos inuadat, credere autem, sperare & magno esse animo, vbi iam irrupit. Etenim sola fides nos fulcit & sustentat in tentatione:

Iob. 1.

1. Cor. 12.

1. Reg. 13.

1. Par. 12.

Mat. 26.

POSTILLA F. IOAN. FERI

Mat. 3. eorum CHRISTVS in suis apostolis nihil reprehendit aliud, quam fidei ipsorum imbecillitatem. Quid timidi estis (inquirit) modicæ fidei? Cæterum fidem primò ex verbo Dei, deinde ex miraculis haurire nos oportet. Ad quæ rem istud euangelium in primis conducere potest. Videmus enim hic Christum in tatione non solum nobis adesse, verumetiam mari ac ventis posse imperare. Hæc autem sunt vera præsidia, quibus fidem nostram in tentatione inuisitiam reddere possumus ac debemus. Interea tamen videndum est, ut recta ratione fidem vsurpemus. Ad quod primò pertinet, ut Christum sequamur, etiam si in mare & in periculum nos vocet ac ducat. Enimverò apud Christum non ibis periculum, licet in meditullio maris, vel etiam in medio umbræ mortis sed eas. Secundò in nauicula manere nos oportet: nam si vel lacum vnguem exceßerimus, iam perimus. Tertiò in tempestate quoque & tentatione nihil nobis de Deo & ipsius gratia dubitandum est. Quartò toto pectore clamare & orare nos oportet. Domine, salua nos, perimus, Docet itaque nos hodiernum euangelium, ut tempore prosperæ fortunæ timeamus, tempore verò aduerso & tristifidam speremusque. Diuersum adeò facit mundus, quando omnia ex animi sententia succedunt, omni vacat metu, nullius monita audit, mox fortuna mutata desperare vult, nullius consolationem admittit. Verum aliud nos hæc docet historia. Deus nobis omnibus suam gratiam largiri dignetur, ut id consyderemus. Amen.

SECUNDVS SERMO

*Indicat quotidie adhuc historiam hanc
in nobis adimpleri.*

R. sal. 33. **H**odiernum Euangelium si verba respicias, breue quidem admodum est, sed duo in se continet, quæ diligenti & accurata cōsideratione opus habent. Primum historia est, non modò elegans & insignis, verumetiam multum consolatoria. Alterum est mysterium, quod CHRISTVS suis discipulis omnibusque fidelibus per illam historiam adumbravit. Digna hæc duo sunt, quæ homo Christianus altius secum perpendat. Historia in seipsa ostendit nobis Christum quoque dominum esse maris, nec in terra solum, sed etiam in mari posse auxiliari, & ex periculo eripere. Quare etiam alacriter ad illum dicere audemus: Tu dominaris potestati maris: motum autem

autem

Autem fluctuum eius tu mitigas. Necnon confidenter ad illum clamare. Saluos nos fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ usque ad animam nostram, &c. Et quod sequitur: Eripe me de luto, vt non infigar: libera me ab iis, qui oderunt me, et de profundis aquarum. Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum: neque urgeat super me puteus os suum. Hoc solatii nobis præbet miraculum isud, quod CHRIS TVS in mari fecit. Voluit potestatem suam vbique locorum, & in omnibus rebus declarare, ne desperationis nobis causa relinqueretur.

Psal. 108.

Ad hoc habet hodiernum euangelium magnum & præclarum mysterium, nimirum futurum significans, vt sancta ecclesia & christianus orbis multis tentationibus, tempestatibus, periculis ac persecutionibus quateretur, nunquam tamen mergeretur non ex suis ipsius viribus, sed illius præsidio, qui in ea habitat. Proinde quod Christus verbis postea dixit. In mundo pressuram habebitis: in me autem pacem, id nunc imprimis factis demonstrare voluit. Verum non sine causa hæc duo nobis, nimirum ne aliquam in mundo securitatem nobis polliceamur, apud Christum autem nullum periculum pertimescamus, verbis simul & factis ostendere illi libuit. Res est quippe magni momenti, quanquam a paucis curatur: vnde etiam deinde fit, vt tentationes eo intolerabiliore, horribilioresque nobis sint. Enimvero qui malum non præuidet & secum meditatur, is vehementissime perturbatur, & tantum non exanimatur, cum illum inopinantem calamitas opprimit. Qui porro non videt neque nouit in tentatione auxilium, tanto is animo fit abiectiore. Caterum cui cognitum est, nullum in mundo præsidium esse expectandum, ei facillimum est, aduersam ærumnam, si eueniat posse negligere. Ecce, idcirco vult CHRIS TVS meminermus nos maris fluctibus adhuc in nauicula ferri, nec dum appulisse portum vel litus, ideoque tentationum procellas nos expectare semper debere, & aduersus earum insultus nos munire. Itidem in altero res habet. Qui in tentatione suffugium nouit, is tanto animo fortiori est, etiam si formidabilis ingruat tempestas.

Ioan. 16.

Vide, propterea CHRIS TVS vult, vt cogitemus ipsum nobiscum esse in nauicula, sciamusque eum omnes motus componere posse, ventis marique imperare. Ne moueamur quod CHRIS TVS dormiat, vt nobis videtur, sed sciamus illi si

MM a bentē

POSTILLA F. IOAN. FERI

Mat. 3. benter excitari. Atque huc spectat, quod dicit: Quid timidi estis modicæ fidei? Quasi dicat: Quid ventus aut tempestas vobis potest officere, me præsentem? An non creditis, quod aquam & ventum, cælum & terram in manu ac potestare mea habeam? Aut putatis me ignorare pericula vestra, si non subito opem feram? Nequaquam. Propterea interdum simulo me dormire, quo vobis maior detur occasio orandi & excitandi me vestris precationibus, vide, hoc nos docet istud euangelium, nimirum, quod quemadmodum nobis adempta est omnis causa despondendi animam in rebus aduersis, ita rursus prohibeamur in rebus lætis ac prosperis ferocire, ac ab omni cura vacui esse. Cum sancti apostoli securissimi essent, & minimum de infortunio cogitarent, repente nec opinantes magno & periculoso turbine oppressi sunt. Contra cum se iam occidisse arbitrantur, momento citius seruati sunt. Talis mundi cursus est, quando in vtranque dormimus autem, periculum in proximo est, & quando omnem salutis spem abieciimus, tum maxime iuuat nos CHRISTVS. Optimum igitur consilium est, quod Paulus dat. Nihil solliciti sitis, inquiens, sed in omni oratione & obsecratione, cum gratiarum actione petitiones vestre innotescant apud Deum. Hoc vnico compendio utebantur sancti apostoli in isto ipsorum discrimine, quo & seruabantur & tuti erant. Domine, inquiunt, salua nos, perimus.

Phil. 4. Proinde si nobis essent aures ad audiendum, & oculi ad videndum, abunde videre possemus in hoc euangelio, quid prauis ac periculosus his temporibus, imò in hac maxima dissensione ac distractione ecclesiæ, & orbis christiani omnes communiter & quisque per se facere deberet. Quod enim apostolis in mari temporaliter vsu venit, id nobis continet spiritaliter. Et qui eos ex ipsorum necessitate temporis momento liberauit, is ipse & nos adiuturus erat, si quod sancti fecerunt apostoli nos quoque faceremus. Certè periculum, in quo nos cum rare nostra nunc fluctuamus non minus, sed maius est, quam tum apostolorum erat. Nam illis tantum de corpore & vita hac mortali agebatur, maius damnum illis tempestas ea dare non poterat. Animas Christo commendabant, de nullis rebus terrenis periclitabantur: eas namque vltro antea reliquerant. Nobis autem agitur de bonis nostris, corpore, vita, anima, salute ac omnibus denique quæ habemus. Nauicula nostra vacillat, huc illuc iactatur, tempestas magis ac magis incrudescit, vndique naui com-

bibit

habet vndas, Christus dormit, perinde ac si in ecclesia non amplius sit, sic se gerit, & quasi non intelligat consilia & machinationes diaboli, velutiq; nesciat quantis in angustiis sit liq; ipsius & fideles constituti sint.

Ideo autem tam altum dormit, quod videt nos ipsos in tanto periculo dormire, stertere & ignavos esse, ac sup: nos ad nostram ipsorū salutem, & præcipue, primores ecclesie. Siquidem hi tantummodo factum suum, genium, voluntatem & avaritiam curant, immersi penitus mundi honoribus, oves Christi planè negligūt, suæ ipsorum salutis obliuiscuntur, non sunt solliciti, qua ratione collapsam ecclesiam instaurare, irruentes lupos arcere, oves Christi ipsis concreditas seruare velint, neq; quicquam cōmuni totius orbis Christiani periculo mouentur. Nemini illorum succurrit. Quid ego amens facio? Grex Christi mihi commissus est, Mox sistendus sum coram tribunali Christi, qui sanguinem suum pretiosissimum pro istis ouiculis pendit? Quid, qua fronte hic illi respondebo? Pauisse & saginasse eos debebam verbis & exemplo, protexisse à lupo, vitæ dispendium pro illis subire, quemadmodū Christus prior fecit. At neq; verbis neq; exemplis eos pavi. Quin causa fuit temporalis, spiritualis ac æterni ipsarum interitus, &c. Nulli, inquam, illorum hoc in mentem venit, adeo profundus illos occupauit somnus.

Ioan. 10.

Et hoc prauum execrabilis negligentie exemplum nos quoque, qui sumus ex promiscua multitudine imitatur, quotidie in fide imbecilliores fimus, frigidiores in charitate, socordiores in oratione, alieniores à cultu diuino. Quia ergo tam grauis veternus corripuit nos & duces nostros, mirum non est, ventos & tempestates in mari, in mundo exoriri, & diabolum nihil non mali in ecclesia moliri. Quinimo mirum non est, quod CHRISTVS dormiat, & nos desertos relinquat, postquam nemo est, qui illum inuocet & ad eum clamet. Summa, si volumus vt Christus expergescat, nos prius expergescamus necesse est. Imò hanc adeo ob causam multis motibus ecclesiam & orbem christianum infestari sinit, vt inde expergesfacti oculorum grauedine discussa cogitemus, vbi locorum sumus, & quæ rerum nostrarum facies sit, ac postea demum quoque nostris precationibus illum excitemus. Sic enim cum Apostolis quoque fecit. Nam tempestas & turbo iste non ex seipsos aut ex causa aliqua naturali obortus erat, sed ex voluntate

MM; & im:

POSTILLA F. IOAN. TERI

Psal. 134. & imperio eius, qui producit vëros de thesauris suis, qui eò
Psal. 64 turbat profundū maris, sonū fluctuū eius. Christus, inquā,
 ipse nimbos istos & maris iracundiā ciuit, q̄ discipulis metū
 incuteret, metus eos ad orandū adduceret, oratio autē eum
 moueret ad exhibendū miraculū, q̄ tandē ipsi aliq̄ hoies in
 fide cōfirmaretur. Hoc Christus querebat per hāc tēpestatē.

Itidē nūc quoq̄ facit. Nihil tā cupit, q̄ ecclesiā suā succur-
 rere, & opē ferre, sed nos iacemus & sterimus. Quapropter
 diabolo & malignis hoībus permittit, vt varias excitēt tra-
 gedias, quibus ex somno nostro exitiabili expergiscamur,
 ac deinde eū oratiōibus nostris interpellem⁹, excitemusq̄:

Psal. 48 quippe nō agrē excitatur. Inuoca me, inquit, in die tribula-
 tionis, & eruam te, & honorificabis me. Nos multū oportet
 vt vellicemur, anteq̄ expergiscimur, quanquā vbi de bonis
 nostris, corpore ac vita agitur, facile oscitantia discutimus,
 vociferamur & clamamus. Nūc verō cūm Satanas ita paret
 se, tanq̄ totā nauē ecclesiā euersurus, totā nostrā domū dis-
 iecturus, nūc hic, nūc illic parietē demolies, spectatores agi-
 mus, ridemus, nemo est, qui obſtupescat, &c. Quid igitur
 Christus agat? Nec citius terrebitur, & clamabimus aut
 deū deprecabimur, q̄ vndā fauces nostras oppleāt. Vtinam
 verō tum nō obſit tanta mora nec ſerius reliſpicamus.

Agite, dilecti fratres, periculū apostolorū admoneat nos
 præsēntis periculi ecclesiā. Faciamus, quemadmodū fecerūt
 sancti apostoli. Imō faciamus, quod aliās faceremus vltro,
 & facimus in corporali periculo. Nemo propterea ē nauis
 exiliat, q̄ fluctuet tanq̄ mergēda. Nemo propterea ex cōmu-
 ni ecclesia fugiat, q̄ nūc in tanto periculo verſetur. Etenim
 qui ē nauicula exilit & ex ecclesia fugit, is in certū exitium
 sese coniicit. Laboremus, obſtemur quoad possumus. Prę-
 cipue autē, quoniā tempeſtas adeo inualuit, vt humanæ vi-
 res amplius cōtra niti vix possint, tanto ad Deum ardentius
 clamemus, & tamē interim quieti ſedeamus in nauicula, ne
 maius periculū nobis ipsis concitemus. Nā, si in parua nauī
 multū rixari ac tumultuari velimus, facile nauis evertitur,
 etiamſi nullus ventus aut procella eam imperat, quāto ma-
 gis futurū id est, si validi vēti & nimbi accedāt? At qui nūc
 in parua cymba ſumus, & eō angustior illa ſit, quo mūdi ſi-
 nis propior est. In mūdi primordio arcta erat, in medio mā-
 gna & ampla est, nūc mundo declinante rursus angusta est,
 si quidem impleri oportet, quod Christus dicit. Multi ſunt
 vocati, pauci verō electi.

Quare

Quare extrema hæc præsidia erunt, quibus in præsentē necessitate vti poterimus, credere, orare, pacem seu concordiam colere. Atq; hæc sunt tria illa adeo, quorum admoneamur hodierna dominica. Ad priora illa duo pertinet euangelium, ad tertium verò hodierna epistola. Fidem nos Christus docet illo verbo quod dicit: Quid timidi estis modicæ fidei? Ostendit nobis primum plurimum interesse inter fidem & presumptionem. Pleriq; putant se magnam & inuictam habere fidē, sed si penitus introspicias nihil aliud est, quàm inanis quædam præsumptio. Vera fides etiam in tentatione persistit, quod præsumptio nequaquàm facit. Id quod exemplum Petri testatur facit. Ante passionē Christi, priusquàm hostem videret magnifica pollicebatur, videbatur sibi habere tantam fidem, vt non dubitaret cum Christo morti se committere. Sed vt rem ipsam dicamus magis præsumptio erat, quàm fides. Nam simulatq; tentabatur lahebat. Ita hic quoq; si quis Apostolos rogasset, num etiā crederent, eam utiq; animi fortitudinem sibi assumpsissent, vt dicturi essent se nihil apud Christum formidaturos, etiā in medio maris, imò in medio mortis. Sed nunc euentus aliter docet, vt eos CHRISTVS ob fidei ipsorum imbecillitatem increpare coactus sit.

Quare hoc verbo docet nos Christus, ne dubitemus animūq; abliciamus, si Deus cum sua gratia non semper exhibeat sese, non semper benefaciat, & à periculis liberet: sed multifariis tribulationibus nos exerceat ac probet. Non ideo dormit, nec propterea nos deseruit, sed iuxta est iis, qui tribulato sunt corde, & cum tentatione facit prouentū. In conspectum nos admittit, vt deinde corona tanto gloriose nos cingat. Negotiū nobis faciescit, vt tanto liberalior remunerator in nos esse possit. Probat fidem nostram & tolerantia igni tentationis, vt nos si infracti semper persiste-
rimus, beatos faciat. Merito itaque dicit: Quid timidi estis modicæ fidei? Quibus verbis nos oēs ad constantia fidei adhortatur. Sola enim fide superare nos oportet quicquid nobis molestum est. Hæc est, inquit Ioannes, victoria, fides nostra. Atq; hoc pacto nos fidem docet istud euangelium.

Orandi formam docent nos sancti Apostoli: Domine, inquit, salua nos. Brevis oratio, sed efficax, qua morem in tempore necessitatis vsurpare non potes. Sin prolixius orare gaudes, accipe quadragesimum: tertium, septuagesimum octauum, septuagesimum-

MM 4 nonum.

Mat. 26.

Psal. 33.

1. Cor. 10.

1. Ioan. 5.

POSTILLA F. IOAN. FERI

nonum, centesimum vigesimum tertium psalmum. Vtere his precationibus cum seueritate, alios adhortare & instigare ad idem studium, expergiscetur utique **CHRISTVS**. Qui enim Deus obsurdescat & non audiat, cum etiam homo impius, ad extremum victus precum improbitate audire cogatur? Postremo quod in nauicula nos gerere debemus pacifice & tranquille ne nos ipsi inquietudine nostra nauiculam demergamus, docet nos Paulus in hodierna epistola. Quam si secuti fuerimus, nulla vnquam turba in nostra nauicula orietur. Cur ita? Charitas (de qua Paulus loquitur) nihil operatur mali, imò implet legem, & omnia precepta. Porro vbi alter alteri non officere sed benefacere studeat, ibi silentiū est, nullæ rixæ nullæq; dissidia sunt. Quare hortatur diuus Paulus tantoq; studio vrget charitatē, imò cum illa concludit omnes suas conciones. Atque hæc vera media sunt, quæ per omnes tentationes & mille discrimina rerum incolumes nos traducere possent, si fixi & immoti staremus in nostra fide, si ex intimis animis ad deum clamaremus, & mutuas inter nos partes fideliter defenderemus. Quomodo autem id à nobis fiat, magis deplorandum, quam prædicandum est. Quanto infortunium maius, tanto minus deprecamur. Quāto maior hostium vis exterius, tanto crudelius nos mutuo persequimur intus. Quæ igitur felicitas aut rerum successus esse potest? Faxit Deus vitem recte perpendamus, Amen.

TERTIVS SERMO

Docet, quomodo Christus etiamnum in nauicula sit Ecclesiæ, cum adiuncta epistola.

BReue quidem admodum est hodiernum euangelium, sed multa complectitur, quæ nobis inferuire possunt ad confirmationem nostræ fidei, necnon ad Christianam vitæ nostræ institutionem. Et primo haud dubiè ad nostram doctrinam factum est, quod **CHRISTVS** mundi honorem & concursum hominū fugiat & cum suis nauim conscendat committatq; se lacui. Nam ante hoc euangelium scribit Matthæus Christum magna quædam miracula fecisse Capharnaū, eoq; homines cateruatim ad eum confluxisse, illum admiratos fuisse, laudasse & magnificasse, adeo omnia expedite & feliciter successisse, ut non solum discipuli eius confirmarentur ad manendum cum ipso, verum etiam alij insuper in numerum discipulorum recipere cupies.

Mat. 8.

eupierint. Verum Christus hanc humanam laudem aspersus, iubebat discipulos suos nauim ingredi, non ignarus, in quantum periculum essent venturi. Quinimo primus nauim ingrediebatur, eumque discipuli sequebantur. Putas autem id absque tropo & figura accidisse? Haudquaquam.

CHRISTVS per hoc nobis ostendere voluit, homini christiano multo satius esse in medio equoris, in medio crucis & in variis tentationibus agere, quam in mudo & apud humanæ laudis magnæque opinionis illecebras. Et Deū suis plus crucis, quam temporalis felicitatis in terris immittere. Ita ut qui verè christianus esse velit, nullam in terris & in mundo tranquillitatem speret, sed semper crucem ac tentationes expectet necesse sit. Dictum est enim & dictum manebit. Mundus gaudebit, vos autem plorabitis & flebitis. Et rursus: In mundo pressuram, in me autem pacem habebitis. Et Paulus: Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum dei. Sed plerisque hoc durum est. Imò multi quidem sunt, qui cum res secundæ sunt Christum sequantur, quando audiunt Christum pro nobis persoluisse, patrem placasse, & nos asseruisse in libertatem. Quis tum non libenter sequatur, & christianum se amatoremque euangelij profiteatur? Atqui videmus hic, quod Christus suos ad mare, ad crucem & omniugas tentationes & afflictiones vocet ac ducat. Egrum hoc est, & tamen via hæc terenda est, per mare, per varios casus tempestatesque & turbinum furores ad æternam patriam tendere ac grassari nos oportet. Qui vult post me venire, inquit Christus, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Et rursus, Quum duo discipuli primum in regno illius locum peterent, dicebat ad illos: Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?

Ioan. 16.

Act. 14.

Mat. 26

Mat. 26

Errant itaque, qui in hoc solum Deo seruiunt ut temporali quieti frui possint. Propterea non sumus ad christianismum vocari & asciti. Attamen hoc vicissim solari habemus, quod Christus primus & ante nos nauiculam conscendit, primus ipse fremitum & fluctus maris, hoc est, mundi huius expertus est. Secundo, quod etiamnum apud nos in nauicula est. Quin eam adeo ob causam Christus primus cum suis discipulis nauiculam ingressus est, nosque per hoc consolatus est, quod semper nobiscum esse velit, etiam in summo tentationis & aduersitatis

MM 5 discip

POSTILLA F. IOAN. FERY

- Psal. 90.* discrimine ut alias quoque promisit. Cum ipso, inquit, sum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum. Et alibi: Ego sum vobiscum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi. Huc quoque pertinet, quod dicit: Nō turbetur cor vestrum, neque formidet. Creditis in deum, & in me credite, &c. In mundo pressuram habebitis: in me autem pacem inuenietis. Eodem quoque pertinet, quod Deus multis retro seculis in Esaia dixit: Noli timere Israel: quia meus es tu: & tecum ero. Quid igitur timemus, cum audiamus deum tot in locis veteris ac noui testamenti promisisse, se in afflictione nobiscum esse velle. Quo quem fortius nobis protectorem optare possumus? Et David qui deum seipsum in hoc consolari poterat. Dominus, inquit, protector vitæ meæ: a quo trepidabo? Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum. Et si ambulauero in medio umbræ mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es, &c. Et profecto, quod toties animum despondemus, nihil aliud in causa est, quam quod non videmus aut credimus Christum nobiscum esse. Vnde sit, ut impleatur in nobis, quod in Iob legimus. Propter multitudinem calumniatorum clamabunt: & ciulabunt propter vim brachij tyrannorum. Et non dixit, ubi est Deus, qui fecit me? Quasi dicat: Tentati quidem clamant, sed non ilico exaudiuntur: contemnunt enim deum, putant eum nullam nostri curam habere, cum tamen tot tamque euidentia signa exhibeat, ex quibus cognoscere possumus ipsius in tribulatione nostra presentiam. Rogas, quæ illa signa & argumenta sint?
- Primum est, quod condidit nos. Non dixit (inquit) ubi est Deus qui fecit me. Si nos Deus creauit, quomodo nos in necessitate & angustia relinqueret? Alterum argumentum diuinæ presentiae est, quod dat carmina in nocte (intellige) quarundam auium. Etenim duas ob res nox tremenda & formidabilis est. Primo, ob tenebras. Deinde etiam, quod ubique altum silentium est, nec quisquam vel appareret vel audiret, rursus verò horrorem illum nonnihil mitigat nocturnus auium cantus, quod indicium est, Deum etiam in tentatione apud suos esse, & humilitate ac contritione illorum corda solari. Tertium argumentum, ex quo deprehendere possumus, quod Deus etiam in tribulatione nobis adsit & adesse velit, est quod præ cæteris terrenis creaturis nobis rationem impartit, imò ad imaginem & similitudinem suam nos creauit. Docet nos (inquit scilicet)

ptura) super iumenta terræ, & super volucres cœli erudit nos. Hæc qui cogitat, quomodo animum despondere possit? Quapropter nō est, quod grauemur, si nos Christus ex mundo super aquas, ex mundi voluplate in varias tentationes duxerit. Certum siquidem indicium est illius præsentia. Alioqui mundus nos non odio habiturus erat. Verba mea seruauerunt (inquit Christus) & crediderunt in me, *Gen. i. 10. 17* propterea mundus eos odio habuit. Et rursus: Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret: nunc quia ego elegi vos de mūdo, propterea odit vos mundus. Quia itaque tot argumēta extant, quod Deus apud nos sit etiam in afflictione, tātō minus nobis molestum esse debet, si nos Christus de mundi gloria & gaudio in mare & varias tentationes abducatur. Vnum adhuc memineris, quod Christus triplicia habuerit suffugia, si quando subducere se volebat cum suis discipulis propter nimiam hominum compressio- *Mar. 6* nem. Nonnunquam in desertum cum suis discipulis secede- *Mat. 5.* bat, nonnunquam montem conscendebat. Nunc in hoc eu- *Mat. 8* angelio etiam suis discipulis nauim ingreditur. His omnibus, nobis exemplum & doctrina parata est. In hunc scilicet modum: Si in mundo pacem & tranquillitatem conscientia tue consequi nequis, secede à mundo in desertum seu solitudinem poenitentia. Tolle iugum Christi super te, inuenies *Mat. 12.* quietem animæ tuæ. Si te mundus odit, montem conscende *2. Par. 23* precatōnis & rerum diuinarū contemplationis. Hoc enim adhuc habemus residui, ut si alia omnia fallant, oculos nostros ad cælum attollere audeamus & Deū deprecari. Hoc est montem conscendere. Tertio ac postremo, si nō vis cum mūdo pessum ire, cum Christo in nauim te subducito, hoc est, in sanctam christianam ecclesiam, atque ibidem commorare. Nam extra hanc nauiculam nihil aliud est, quàm certum exitum.

Verum non sine causa sancta communis catholica ecclesia & Christianitas nauiculæ comparatur. Etenim si incredulorum multitudinem respicias, exiguus fidelium cœtus est, quemadmodum ipse Christus ait: Nolite timere pusillus grex. Et iterū: Multi sunt vocari, pauci verò electi. Item: Filius hominis veniens, putas inueniet fidem in terra? Et tametsi nauicula sanctæ communis Christianæ ecclesiæ in medio satis ampla fuit, imò per omnes orbis plagas se porrexit, admodum tamen angusta fuit in principio, vltimis his temporibus multum quoque contracta est, postquam rota *Luc. 12.* *Mat. 22.* *Luc. 13.* *Aff.*

POSTILLA F. IOAN. FERI

Asia, Aphrica & magna pars Europæ à fide desciiuit. Præterea Christus clarè indicat hanc nauiculam sub finem mundi magis etià contrahendâ esse. Tunc, inquit, duo erunt in agro, in vna domu, in vno lecto: vnus assumetur, alter relinquetur. Ad hunc modum sancta Christiana ecclesia formam nauiculæ refert.

Mat. 24.

Quamquam verò in parua carina nō vsque adeo magna securitas speranda est, præsertim vbi impetuosus ventus & turbines ingruant, certum tamen est, nos infœlicem Adami sobolem in toto ac spatioso terrarum orbe tutiorem locū habere non posse, quàm in hac adeo nauicula. Rogas, quare ita? Gubernatorem seu nauclerum habet, qui nō modò peritus est, sed omnino sollicitus, imò qui nunquam somno capitur. Deus est, is hanc nauiculam moderatur. Secundo

Psal. 120.

Iob. 1.

hac nauicula impigros ministros habet, quorum opera velociter agitur. Ii sunt sancti angeli, qui remos ducunt. Sunt enim omnes ministri spiritus, qui legantur ad ministerium eorum, qui in æternæ beatitudinis consortium recipiendi sunt. Tertio hæc nauicula quantumuis parua vniuersam fidelium ac electorum multitudinem complectitur, qui omnes ad æternam patriam in ea vecti sunt, nullos vnquam, qui in illa mansit periiit. Quarto ista nauicula fortissimum malum habet, nimirum crucem Christi, qua etiam diabolus deuictus est. Quinto hæc nauicula magnū & latum velum habet, quæ est sancta Christiana nostra fides, qua accipimus clementem afflatum sancti spiritus, quo rectè quoque ferimur ad veram patriam. Et hic omnium secundissimus ventus est, qui nauiculam hanc impellit, nimirum spiritus sanctus, qui nauiculam etiam ad optatissimum portum incolumem deducere potest ac ducit, hoc est, ad cælum seu ad æternam felicitatem. Vbi igitur obsecro tutius agere possemus in toto orbe quàm in hac nauicula, in sancta cõmuni christiana ecclesia? Ea quidem iam inde ab intrio multas afflictiones ac tempestates perpeffa, semper tamè salua euasit, & euadet, quandiu secum habitura est Christum, qui quamquam dormire interdum videtur, suo tamen tempore expergescit, imperat ventis & mari. Quæ res nos tanto libentius in hac nauicula retinere debet, ægriusque diuellere ab ea, quâdoquidem videmus Christum quoque ibidem esse & manere. Porro vbi Christus est, nulla ibi tempestas nocere potest. Confidite (inquit ad suos) ego vici mundum.

Col. 2.

Ioan. 16

Hæc omnia ad corroborandam fidem nostram faciunt, quæ vbiq.

vbiq; principem locum tenere debet.

Atamen Christus nobis in hoc euangelio non solum doctrinam & confirmationem fidei, verum etiam exempla verę charitatis dedit ac reliquit, & præcipue in hoc quod non vno in loco tantum morbis medetur, sed passim, non expectat, donec rogetur, sed priusquam rogetur, salutem sæpenumero confert. Ita hac vice multos Capharnaum sanauerat, nunc mare transmittens petit regionem Gerazæ: norum, vbi sciebat hominem tota dæmonium legione occupatum, quem sanaturus erat. Et in his omnibus nec laborem nec periculum fugit, nec sordes agrotorum horret. Hæc vera charitas est, quæ nõ quærit quæ sua sunt, sed quæ ratione proximo succurrat: Quod charitatis exemplum in hoc euangelio diligenter quoq; meditari nos oportet. Huc pertinet, quod etiam Paulus in hodierna epistola nihil aliud facit, quàm quod dilectionem prædicat. Nemini (inquit) quicquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis: qui enim diligit proximum, legem impleuit, &c.

Ioan. 5.

Mat. 8.

1. Cor. 13.

Rom. 13.

”

”

”

Hæc hodierna fuit epistola, brevis quidem in verbis, sed latè patens in sententia. Et est veluti summa quædã ac compendium eorum omnium, quæ Paulus tribus dominicis proximè præteritis in epistolis de charitate docuit. Vult, vt Christianus certò persuasum habeat, dilectionẽ proximo deberi & tale debitum esse quod integrum nunquam persolui possit. Quoties enim cunq; charitatem erga proximum declaro, iam denuò eandẽ illi debere incipio. Id in aliis debitis non fit. Quantumcunq; enim alieni æris consaueris, efficere tamen paulatim potes, vt obæratum amplius nõ sis. Charitas autem perpetuum debitum est, quod redimi nunquam potest, quātumcunq; etiam dependas. Sunt quidem homines, qui cum largiti sunt aliquid proximo, putant se ad plenũ charitatis officiũ sanctos esse. Sed aliter ea de re loquitur Paulus, nec Paulus tantum, verum etiam Dauid, qui hominem probum cõparat arbori, quæ iuxta riuulum plantata est, ea quàm diu abundat humoribus, nunquam cessat multo cum fœnore fructus suo tempore dare. Talis arbor nemini obest, omnibus prodest, omnibus prætereuntibus fructum suum offert.

Sic homo Christianus quoq; affectus esse debebat. Nulla arbor sibi fert fructus, sed eos aliis porrigit siue hominibus siue pecudibus. Imò nulla creatura est, quæ sibi soli viuat ac seruiat, excepto diabolo & improbis hominibus. Sol non sibi

sibi

POSTILLA F. IOAN. FERI

sibi ipsi splendet, terra non sibi fructificat, aqua non sibi fluat. Imò ne membra quidē in humano corpore sibi ipsis seruiūt. Sola improba & pernicax voluntas hominis oīa inuertit, nemini largitur, erga neminē officiosa est, nemini nisi sibi ipsi fauet. Contra verò rapit & cōpilat aliena, in rebus omnibus suū emolumentū quatit, etiā ubi dei negotium geritur. Non ineptē sentitioso fructici comparari potest, qui nō fert bonos fructus, sed alias secundas arbores & fructus ipsarum præpedit ac suffocat, quin etiā prætereuntis manus & vestes vellicat laceratq;. Ceterū homo bonus fructifera arbor est, non sibi ipsi tantū inseruit, verum etiā aliis per dilectionem, quotiescunq; necessitas poscit, & occasio sese offert. Hæc Pauli sententia est in hodierna epistola. Proinde si euangelii & epistolæ iunctim acceperimus, duas res habebimus, quæ ad nauiculam pertinent, fidem & charitatem. Si à fide defeceris, peristi, etiam si corpore in nauicula mæseris, id est, in cōmuni ecclesia. Si à charitate recesseris, rursus interisti, licet credas aut credere tibi videaris. Fides enim sine charitate mortua est. Quare hæc duo coniungamus oportet. Id quod nobis concedat Deus Opt. Max. Amen.

Iac. 2.

Dominica quinta

POST EPIPHANIAM EVANGELIUM. Math. XIII.

Simile factum est regnum celorum homini qui seminauit bonum semen in agro suo: cum autem dormirent homines, venit inimicus eius, & superseminauit zizania in medio tritici, & abiit. Cum autem creuisset herba, & fructum fecisset: tunc apparuerunt & zizania. Accedentes autem serui patrisfamilias, dixerunt ei, Domine, nonne bonum semen seminaisti in agro tuo? Vnde ergo habet zizania? Et ait illis, Inimicus homo hoc fecit. Serui autem dixerunt ei, Vis inuis, & colligimus ea? Et ait, Non, ne fortè colligentes zizania, eradicetis simul et triticum. Sinite utraque crescere vsq; ad messem: & in tempore messis dicam messoribus, Colligite primum zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum.

EIVS